

**Dissertatio physica, tactum sensuum externorum moderatorem exhibens /
[Michael Ernst Ettmüller].**

Contributors

Ettmüller, Michael Ernst, 1673-1732.
Reussner, C. G.
Universität Leipzig (1409-1953)

Publication/Creation

[Leipzig] : J. Georg, 1695.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/c96mkhtf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO PHYSICA,
TACTUM
SENSUM
EXTERNORUM
MODERATOREM

exhibens,

Quam

Amplissimæ Facultat. Philosophicæ Indultu
In Alma Philurea

H. L. Q. C.

Ad d. VII. Septembr. M DC XCV.

Publico Eruditorum Examini
exponet

M. MICHAEL **E**rnst **G**ettmüller/
Medicinæ Baccal.

Respondente

Christian Gottlieb Reußner/
Lignic. Silesio.

Literis JOHANN. GEORG.

58700 (17)





Q. D. B. V.

§. I.

Dum rubrica præsentis Dissertationis Sensuum rationem sub Taetius specie explicare promittit, eqvidem probè recordor illius Stoicorum hypotheseos, qva animam sensitivam instar Polypi cuiusdam sibi concipiebant, piscis nempe prælongis & multis cruribus instructi, cujus caput in cerebro, brachia vero s. crura per sensuum organa intermediis nervis exponrecta, objectorum tensibilium impressiones exciperent, & ad commune sensorium deveherent. Qvam qvidem analogiam, cæteris paribus, Philosophis his eo promptius concedere possum, qvo luculentius observamus, ea qvidem habitudine Sensoria externa ad interiora organa & spiritus gaudere, & fibras nervorum eâ arte sibi conservatas ac per longiores tractus extensas, uno verbo, ita dispositas esse, ut vel à levi sensibiliū ictu commotæ earum extremitates impressionem factam sub speciei sensibilis vulgo nomine ad commune sensorium s. nervorum principium dimittant. Spiritibus enim animalibus ab organo sub objecti impressione per nervorum canaliculos quasi retroactis, ab Anima sentiente modo forsan vix explicable illa organorum affectio seu modificatio, qvam ab objecto patiebantur hæc, percipitur: qvod videre, audire, tangere &c. ajunt.

§. II. Atqve has quidem, qvæ in organis externis inchoantur, perceptiones sensus externos communiter

vocamus, ad internorum, utpote qvas etiam sine præsen-
tia & impressione objectorum & intrinsecus fieri, experi-
entia innuit, differentiam. Minusq; feriet hoc dogma non
nullorum modernorum v. g. *VValdschmidii Instit. Medic*
Ration. l. 1. c. 4. §. 7. p. m. 42. dubium: nimirum minus recte
Sensus in internos ac externos dividi, ex eo qvod Anima
nullibi externe sed interne tantum sentiat, neq; motuum
ab objectis externis concitatorum receptio vel spirituum
determinatio in organo aliquo externo proprie & ultime
fiat, sed in Cerebri recessibus penitioribus potius, i. e. im-
pressio sensibilis non in sensorio externo, sed in commun-
demum percipiatur; qvatenus divisionis illius adeo famo-
sæ fundamentum petitum est à prima eaq; dispari objec-
torum impressione, facta sc. modo in organa immediate,
tanquam illi magis obvia s. externa, modo intermediate & in-
tervenientibus sensoriis externis, à qvibus, mediatoribus
nervis, tanquam canalibus transvehentibus, illa impressio
ad Cerebri interiora s. sensorium internum qf propagatur
Proin Sensationem externam perfectam s. consummata in
qvidem sine interna speciei perceptione fierivix posse, fa-
cile largior, prout nec internam sine objecti per organa
externa impulsu, & per conseqvens harum forsitan una si-
ne altera existere nequit, qvia tn. præter hanc ab extra ac
intra continuatam impressionem s. perceptionem aliæ spe-
cies internarum perceptionum, absentibus etiam objectis
externis, s. organis externis ab illis minus perculis, fiunt
nempe in Imaginatione ac Memoria; divisionem illam adeo
solennem hactenus impugnare nolo, neq; tn. si impugne-
tur, pertinaciter propugnabo. Ne interim lis vana sit de
notionibus, distinctioni huic substituatur illa qvorundam
v. g. *Pembeli de Sensibus internis* divisio Sensuum in superio-
res, qvibus Exteriores communiter dicti tanquam mini-
stri inserviant, hinc inferiores dicendi.

§. III

§. III. Lubens enim fateor cum plerisq; modernis Philosophis v. g. du Hamel Physic. Part. 3. c. 3. oculo v. g. vivendi, lingvæ gustandi potentiam & sic reliqvas sensationes qvoq; organis externis minus congruè assignari, nisi inchoative saltem. Sc. in oculo eqvidem radiorum visivorum impressiones fiunt, in hoc prima fit ab illis spirituum commotio, hæcq; facultatem interiorem s. sensum communem ad illorum perceptionem, qvam ultimato videre dicimus, determinat: actio nihilominus Animæ, qva impressio sensitiva percipitur, in ipsa hujus sede intimiore, qvæcunq; demum illa sit, exerceatur. Igitur istantum (ut Glissonio de Ventric. & Intestin. Tract. post. c. 7. §. 4. p. 171. loqui placet) concrete Sensus dicitur, qui præter Sensem exterrum s. organi externi modificationem Sensoriam partem Sensus communis, cui connectitur, aut ad qvam propagatur illa, complectitur, & cujus adæqvatum Sujectum est Sensorium exterrnum una cum illa Cerebri portione, cui hujus nervus inseritur, s. potius à qvâ idem emanat.

§. IV. Et per consequens nulla Sensatio perfecta dicitur, nisi à Cerebro percipiatur illa organo externo facta impressio; dum, si aliis intenta Phantasia est res, qvæ in conspectu sunt, non videmus, aut compellationem adstantis non audimus, nec, qvamdiu Cerebrum somno sepulum, sonos aures subintrantes aut vellicationes externas sentimus, ut ut organa externa sensibilium horum impressiones revera sustineant Qvibus accedit Medicorum alio- umq; adstantium observatum paradoxum, eos nimirum, qvibus crus, manus &c. amputata fuit, de acerrimo qvantioq; artuum perditorum dolore, qvam olim in his perpesi fuerant, conqveri; sine dubio, qvod in Cerebro, non in extremitatibus illis, utpote extirpatis, dolorifica fiat percepcionis, resuscitato in hoc Sensorio extero motu simili, qvalem

lem ab objecto dolorifico parti externæ olim facta impressio præstabat.

§. V. Sensuum horum sive extenorū s. inferiorū in Scholis recensentur quinque, quem numerum impræsentiarum etiam admittam vel supponam, quamvis diversa sint, quæ illam dubium reddunt, aut is nondum adeo firmatus & assertus sit, quin, annotante Excell. Dni. Bohnio, Præceptore atq; Patrino meo ad Cineres usq; devenerando Circuli Anatomico Physiologici Progymnasmate XXII. ambigere de illo cuivis integrum relinquatur. Atq; hos quidem ratione objecti, organi & percipiendi modi distinguunt; ut absurdū non citra rationem illum nuncupent, qui dulce se videre sonum testudinis hujusque chordarum harmoniam degustare, moschi fragrantiam tangere sibi persuadet. Hinc & ego forsan Paradoxus & tantum non absurdus videbor Peripateticis, commune illud dogma profitentibus, si Tactum equidem unum inter quinque hos admiserit, reliquos tamen quatuor certo modo sub moderamine Tactus stare contendero: quatenus nulla rerum Species cæterarum, ad eoq; nec Tactus reliquorum quatuor Sensuum extenorū dum cum Visu, Auditu &c. sub communi illorū genere stat Genus dici valet: i.e. senioris Philosophiae fundamentis maxime derogat, Speciem unam alterius Genus existere.

§. VI. Verum enim vero causam mihi dicit contra hos ipse Peripateticorum Princeps lib. 2. de Anima c. 3. & de Sensu & Sensili c. 4. ubi Saporem, Sensum, unum ex illis esse, ait, quæ Tactus percipiuntur, & lib. III. de Anima c. V. ipsum Gustum Tactum querendam pronunciat; c. 13. demum addit, nullum aliū Sensum sine Tactu haberi posse, corpus enim animalis omnis vim sentiendi habet tangendo. Et paulo post: Cetera quoque Sensuum instrumenta Tactus sentire. Cui adstipulatur Julius Casserius de Organis Sensuum Proleg. c. I. & Lib. II. Sect. I. cap. 1. & Sect. II. c. 2. quasi Gustus g. stab.

abile non dignosceret, nisi Gustabile à spongioso Lingua & corpore con-
rectaretur, neg. Olfactus organum odores exciperet, nisi rerum odo-
riferarum à vāgūmāns s. suffitus illud contingeret, idemq; de reli-
vis Sensibus esse judicium, in quibus perag. Tactus, quamvis non
mathematicus, Physicus tamen requiratur. Imo tandem con-
cludit: Quid multis? Tactus est, qui omnium Sensuum operationes
erficiens ipse solus nullius eget adminiculo. Pariter quo ad recen-
iores Philosophos, pleriq; horum in eo conveniunt, Sen-
sus omnes diversos Tactus s. Tactus diversas species esse,
parumq; discriminem ex diversitate tangentium tantum &
contactorum pendere; s. sensus omnes inde solum excitari,
qvod partes corporis nostri per contactum alterius loca-
liter moveantur. Vid. Molinettus *Dissert. Anatom. & Pathol.*
Lib. 4. c. 1. Glisson. l. a. c. 12. Le Grand Institut. Philos. Natur. Part.
VI. Art. 6. Slicherus Phys. Arist. Cartes. Qvæst. 369. Digby Institut. Pe-
ripat. L. 2. Lect. 18. & de Nat. corp. c. 32.

§. VII. Ne tamen vel recensitos multæ Eruditionis
ac Famæ Scriptores hoc asseruisse, vel ego vestigia tanto-
rum Philosophorum legens, temerarie & sine ratione hoc
Tactus in cæteros Sensus directorium perhibere videar,
psum Sensationis modum, sive sub generaliore conceptu
ustretur, sive per Sensuum specialiora phænomena expli-
etur, hoc evincere, seqventibus ostendam, modo prius
ne explicuero, qvid sub Tactus nomine innuere velim.

§. VIII. Scilicet aliquando Tactus, Contactus & Contre-
tatio penes Philosophos Synonyma observantur, sicque
in naturalis audit, animali Sensationi contradistinctus, &
ib hoc plane alienus: quatenus hæc potentia s. modus per-
cipienda est Animæ sensitivæ objecta tangibilia, i.e. asperum
& clæve, calidum & frigidum &c. ille vero à contigitate
omen mutuatur, & non nisi in duorum corporum situ re-
lativo s. habitudine horum tali consistit, qva utriusq; super-
ficies

ficies sibi maxime vicina s. contigua reddatur. Qvam
Peripatetici hunc naturalem iterum in Mathematicum
seu corporeum & Physicum s. Virtualem discernant, qv
distinctio, cuius valoris sit, mox dicetur.

§. IX. Qvo supposito demonstrare annitar, nullus
Sensum sine Tactu posterioris generis, s. absq; unione
contiguitate corporis sensati & organi sentientis, fieri, qv
tenus horum posterius à prioris actione s. impulsu aliqui
patitur, adeoq; impetum s. impressionem hujus illud exc
pit, qvam affectionem ejus ab objecto Contactum vocan
s. qvæ speciei Sensibilis tanquam Entis semper realis s. ma
terialis primus atq; immediatus effectus est.

§. X. Neq; enim Zabarella, Sennerto aliisq; Peripateti
cis ad stipulari possum, dum Sensus sive organa horum a
Objectis non per horum qualitates materiales, sed spiritua
les s. intentionales affici docent, i. e. tales, qvæ ut deter
minata simulacra & imagines ab objectis sensibilibus em
nantes, puriores, subtile & omni materia exutæ sin
Si quidem animadvertente *Digbæo de Naturâ Corpor. c. 27. p. 31*
à nullo illorum unquam probatum est, dari omnino in re
rum Natura tales res spirituales s. species intentionales i. e.
Primo neq; origo & causa harum imaginum productrix ha
ctenus sufficienter declarata fuit, qvamvis eam *Sueffani*
Deum, *Buccaferreus* cœlestes intelligentias, Zabarella ipsa
qualitates sensiles sui multiplicativas velint. Priores siq
dem binos Commentatores ipse refutat *Zabarella de Sen
agente c. 3.* hujus vero ipsiusmet dogma vel ideo minus ido
neum dici meretur, qvod corpora sensibilia utpl. inertia
& otiosa formas ejus modi nobiles suisq; formis excellen
tiores depromere nequeant, & quidem intra temporis
punctum seu sensationis momentum; nec educi, ut commu
niter ajunt, valeant è potentia subjecti, multominus ex cras

ris compagis & infiniti numeri corporibus sine ulla in-
ruptione Formæ adeo spiritales, s. univocus s. æqvivocus
rum effectus dicatur. Neq; determinari potest, qvibus
hiculis ad sensoria nostra pertingant, an solitariæ per-
mpant, an potius propagatione qvadam diffundantur?
væ cuncta similiaq; sicut explicatu ita Intellectu quoque
dua existunt, hinc dubiam maxime reddunt hypothesin.

§. XI. Qvod pariter Secundo præstat, dum à specierum
qualitatum harum intentionalium Patronis quidditas s.
tura earum haud perspicue satis fuit declarata. Vix enim
ncipi possunt illæ corporeæ s. divisibiles, qvia dicuntur
materiales, & spiritales in minima subjecti aut medii in-
rjecti parte totæ reperiuntur; neq; indivisibiles, s. inter-
spersus & spiritum ambigentes, alias Sensoria haud percel-
lent, nec sensum moverent, neq; res extensas exhibe-
nt, qvod nihilominus in Sensatione fieri omnes experti
tamur.

§. XII. Per conseqvens & eo ipso, dum objectum qvod-
s, aut hujus qualitates reales ejus materia intertextæ
sensorium sibi adæquatum afficiunt, neg, animadvertisse
istotele l. 1. de Generatione & Corrupt. c. 6. ea agere & pati pro-
e possunt, quæ se mutuo tangere nequeunt, & Lib. 2. de Animâ
& s. Sensus Alteratio quædam Organi videtur i.e.c.s. fit Sen-
, cum movetur atq; patitur illud aliquid: Contactum non nisi
corporeum objectum & sensorium intercedere palam fit,
ipsa Lux vel ut sibi relicta vel modificata oculos per-
lit, aër sive æther à sonoro agitatus auris tympanum
prat, corpuscula sive miasmata odorifera narium tuni-
m interiorem vellicant, sapidorum ramenta linguæ pa-
llulas nerveas laxant aut constringunt, ac denique su-
rficies corporum glabra aut hirsuta reliquaque attribu-
tangibilia cutem hujusve eminentiolas feriunt, cuncta

immediatè & per contiguitatem arctissimam seu impressivam in organa sua agunt.

§. XIII. Quamvis enim *Sennertus Epitom. Natur. Scient.* L. VII. c. 1. p. 558. Sensum Tactus non per quidditates reales, sed spiritales seu intentionales tantum affici, sibi aliisque persuadere conetur, hinc idem de reliquis, utpote illo minus terrestribus, sensationibus sequi concludat: vix tamen conceptibus suis exesse satisficit, & in probando priore haud adeo felix existit. Quippe haud illa tantum materialiter agere dicuntur, quae similem omnino qualitatem, numero aliam, in paciente producunt, alias ensis secans non ageret in carnes, quas vulnerat, materialiter, sed spiritualiter tantum, quod absurdum: sed agit instrumentum vulnerans simulque dolorem inferens per meram sui corporeitatem seu compagem & hujus figuram acuminatam, ac motum huic impressum, cum quorum neutra continuitas in membro soluta, & hinc emanans dolor vel numero vel specie idem dici potest, sed est dolor qualitas seu affectio ab affectione teli laedentis toto celo diversa. Præterea nec ideo Tactus organum ab objecto calido, moli, aspero &c. virtualiter tantum affici dicendum, quod non incalescat, non mollescat, non induretur, &c. Sed sufficit, ut inferius probabitur, partes materiales, si non sensibles, certe insensibles, pro sui habitudine five modis diversis quoad figuram situm & motum organum evidenter immutari, quod est, illos hoc tangere.

Tangere enim est tangi, nisi corpus, nulla potest res; Ait Lucretius. Et eo ipso, dum qualitatum intentionium existentia in antecedaneis dubia redditæ fuit, quæ ratione quod sensoria ab iis afficiantur, afferi valeat, haud appet potissimum cum actiones corporeæ objectorum ad impressiones sensitivas formandas maxime sufficient.

§ XIV.

§. XIV. Et forsan in hoc hallucinari videntur Pe-
patetici pertinaciores, qvod non tam impressionem seu
ktionem objecti, qvam ipsum objectum sensibus percipi-
leoq; imaginem qvandam objecti sibi fingant, cum nul-
species expressa organo insit, aut in hoc relinqvatur,
nam ipsa Sensus actio, seu impressionis à sensibili factæ
erceptio.

§. XV. Nec locum hic habebit unquam distinctio
cholis pariter satis freqvens, inter contactum corpora-
m & virtualem, qvorum illum, qvo corpora diversa jux-
sui superficiem uniantur, immediatum seu mechani-
cum, hunc, qvo distantia etiam, i. e. qvæ extrema seu ulti-
ma non simul habent, se invicem afficiant, mediatum ac
hyficum nonnulli ajunt; & sub posteriore qvædam sen-
tibilia v. g. sonus, colores & qvoad partem odores materia-
lia evoluta omnimode existant, longius à corporibus suis
iffundantur, ac in organa emanent. Siqvidem quem
redimus sonum à sonante procul diffundi, non hujus,
ed aëris intermedii determinata percussio & ad aurem
lirectio est: nec species visibles oculum subeuntes ali-
vid à materia radiorum diversum, sed radii Lucis à co-
orato determinate reflexi & in organi tunicis ac humo-
ribus refracti sunt, adeoq; extra materiam nunquam exi-
tunt, hinc nec oculum Virtualiter & mediate tantum
contingunt, ita qvidem ut hujus texturam seu compagem
mechanicam aliquando evidenter lèdant: Multo magis
& eo ipso, dum odorata aporrhœas qvasdam odoriferas
seu miasmata nares ferientia demittunt, odores non sine
materia sua has subire sponte elucescit.

§. XVI. Neq; qvando inter Medicos nonnulli v. g.
Fracastorius contagii morbos tria genera constituunt, sc.
per contactum, fomitem & per aërem, seu ad distans, a-

deo commode differere videntur, dum, qvod mediante fo
mite & aëre propagatur, effluvium morbosum non mi
nus corporaliter seu materialiter afficit, ac qvod ex cor
pore morbo affecto in sanum per immediatum utriusq;
contactum traducitur. Qvippe in hoc casu non qvidet
corpus ipsum solidum impurum aut humores pravi v.g.
lue Venerea affecti, sed miasmata minus sensibilia hin
emanantia alterius corpus inficiunt, sicq; enim corporal
ter hoc afficiunt, ita si eadem interveniente vehiculo se
fomite vel spissiore v.g. saliva, liqvore genitali, vestimentis,
vel tenuiore aut fluidiore, qualis aér, transportentur
materialiter sine dubio agunt, licet compagis horum exi
litas sensus nostros fugiat.

§. XVII. Omne igitur Sensibile, qvia & qvatenus ma
teriale, contactu corporeo in sensoria agit seu determi
natas illis impressiones præstat, hinc sine Tactu, sive con
tactu materiali ejus perceptio fieri nequit: adeoq; ve
sub hoc sensu Tactum omnium Sensationum externarum
moderatorem seu fundamentum existere, vel absq; sensi
bilis & sentientis contrectatione mutua nullius harum
formalitas concipi valet:

§. XVIII. Evidentiora autem hæc evadent, si præ
terea ostendero, nec Tactum sensitivum seu animalem
reliquis Sensibus ita discrepare, qvin his cunctis aliquid
illius subsit, sensoria qvævis à suis objectis sub specie tangi
bilium modificantur, seu eousq; disponantur, ut distincta
horum impressiones recipient, seu per modum & modera
men Tactus organa cuncta sentiant i.e. videant, audiant &c.

§. XIX. Sc. concipio eqvidem mihi secundum
dogmata Scholarum qvarumvis Tactum peculiarem (u
sæpius innui) sensationum externarum speciem, utpote
à proprio objecto & per proprium organum determina
tam

m, eamq; ad conservationem animalium mxime necessariam, hinc nulli forsan horum denegatam : licet revarum unam vel alteram qvibusdam eorum deficere, rr experientiam Aristoteles l. III. de *Anima* c. 12. afferat, conmetq; Perrault *Essais de Physique* Tom. III. Part. 1. chap. 3. & 5. templo cochlearum, ostrearum, mytulonum, cancro- m multorumq; insectorum. Videtur tamen ejus ali- id, annotante Fracassato *Epistol. de Lingua*, reliquis sensibus imisceri, seu quamvis reliquorum sensuum ministerio inus. indigeat, illi nihilominus sine Tactu haud fiant, t ex superioribus ex *Aristotele & Casserio* repeto) & hujus vasi species subtiliores seu exquisitiores sint, proin eo- m formalitas vix commodius, nisi sub Tactus idea aut analogia concipi ac exponi possit.

§. XX. Nolo hujus loci facere quasdam species ngingibiles, calorem, frigus, asperitatem, lævitatem &c. non inus à reliquorum Sensoriorum v. g. oculorum & Lin- æ compage fibrosa ac à cute & hujus papillulis nerveis quam Tactus organo adæqvato & proprio discerni, ut enim organi Tactus latitudinem immensam, quam ensus hujus directorium in reliquos innueret. Ast sicut ensus externos cunctos quædam sibi propria, quædam ter se communia habere constat, ita quatuor cætero- m evidentissime observatur impressionem ab obje- o factam excipiendi modus cum tangendi modo si non em, certè huic valde similis.

§. XXI. Villius eqvidem de *Anima Brutorum* Part. c. 10. falsam illorum opinionem pronunciat omnem, qui quibusvis Animalibus Sensum Tactum solummodo af- rant, quod quamvis Animæ ab objecto affectio quævis er contactum fiat, non unatamen nec eadem ubique sit, quæ organo applicatur, sed quocunque Sensibi-

lium typi inveniantur, tot etiam ~~ouſtητηρια~~ eorum ~~extrem~~
existant.

§. XXII. Qvod qvidem dogma ut planius reddat
tria supponit, sc. primo cujusq; Sensorium strukturâ ejus
modi mechanicâ gaudere, per qvam particulas non qua-
vis, sed proportionatas tantum intus admittat, ade-
ut inter atmosphæræ variæ indolis corpuscula tenuissi-
mæ tantum auræ seu Lucis particulæ corpora pellucida
non opaca, trajiciant, & in organum visorium convehari
tur; aliæ seu sonoræ auris tantum tympanum verberen-
ejusdem aëris ambientis particulæ exhalationibus odori-
tis perfusæ nares feriant &c. i.e. qvæ uni sensorio adæqui-
tæ plerisq; aliis incommunicabiles existant. Deinde va-
riam in spiritibus animalibus sibi concipit constitutionem
seu apparatus, per qvam disparitatem eorum alii, mag-
nempe sinceri ac nudi Tactus sensui sufficient, pro vii
purissimi ac velut crystallini ad oculos confluant, & si
cæteris qvoq; Sensoriis Spiritus sub determinatis ~~diatāξε~~
modis destinentur. Qvibus tertio addit diversitatem ob-
jectorum, per qvam eorum alia visiva, alia gustabilia, se-
nora alia &c. existant.

§. XXIII. Sed *priori* regeri potest, de qvo modi
dixi, sc. organa sensitiva præter conformatiōnem pec-
liarem seu specialem communem invicem gerere fibras
sitätē fīve carneam fīve membraneam, ratione cui
objectorum non ut visibilium, audibilium &c. sed ut ta-
gibilia qvoq; occursus sustineant seu percipiāt: ade-
qvidem, ut sensoria cuncta non tantum præter vidē
gustandi &c. facultatem qvoq; tangendi habeant, sed i-
diqvoq; Lucis v.g. fīve simplicioris seu modificatæ, aëi
particulæ sonoræ, aut qvorūcunq; concretorum sap-
dæ, ut tales, organa sua afficere neq; veant, qvin ab his ta-
gantur

ntur, & fibrillæ eorum modo tendantur, modo la-
ntur.

§. XXIV. Consentiunt siqvidem in hoc, ni fal-
, pleriq; Philosophorum, membra Animalium, sensuum
ercitio destinata, teneram valde & delicatam texturam,
ut aliis v. g. *Glissonio l.c. cap. 7.* loqui placet, singularem
rarum, ex qvibus conpinguntur, irritabilitatem, qvam
nsitivam vocant, possidere, per qvam ab objectis
currentibus seu oblatis actu irritantur, seu in motus
crispaturas extraordinarias cidentur, qvales per nervos
commune sensorium usq; continuatæ hujus quoque
illos eisq; intertextum fluidum in motus determinatos
piunt. Dum itaqve papillarium Cutis eminentiarum
achinulæ à tangibili percelluntur, & qvidem ad certam
sq; fibrarum, ex qvibus hæ compinguntur, tensionem
ajorem minoremve, pro varia objecti particularum fi-
ura, situ, mole, atq; impulsu has commoveri & orga-
nū alterari, hancq; alterationem seu succussionem ad in-
riora usq; extendi, necesse est, qvod tangere ajunt.

§. XXV. Et qvamvis hic determinare vix audeam,
tangibilium diversa genera subiectum seu instrumen-
tum Tactus eadem æq; ratione afficiant, asperum nimi-
um ac lave pari modo, ac calidum & frigidum, & utrum-
ve perinde ac solidum & fluidum &c. multominus, an-
valitates adeo variæ vulgo tactiles appellatæ, & specie
maxime dissimiles omnes Tactus objectum parijure dici-
veant: hoc nihilominus in aprico videtur, cunctas ea-
um, qvibus in Tactus sensorium corpora hæc vel illa a-
unt, à situ, figura & motu potissimum particularum illa
constituentium prodire i. e. à modificatione harum ejus-
modi, qva Sensorii fibras determinate laceſſunt, seu ad mo-
tus tactiferos disponunt.

§. XXVI.

§. XXVI. Qvoad figuram & situm minimorum
superficialium lœvium & asperorum corporum disparem
nemo dubitabit, cum illa lœvia seu glabra deprehendar-
tur, qvorum partes superficiales aut obtusiores existunt
aut adeò recte sibi agglomeratae sunt, ut neutra earum e-
mineat, neutra depresso sit, qvemadmodum aspera, qvo-
rum ambitus seu superficies partes diversæ seu inæquali-
eminentiæ & acuminatas magis obtinet. Æqvales ita-
vel inæqvales superficie partium impressiones organi fi-
brillas sine dubio vel lacerant vel inæqualiter tendunt
qvod asperi, vel æqualiter magis premunt seu demul-
cent, qvod glabri immediatus magis effectus videtur.

§. XXVII. Motum nihilominus seu tangibiliū
sub diverso impetu factam impressionem insuper Tactum
diversimode moderari, adeo qvidem, ut pro diversa hu-
jus ratione glabrum sub asperi, calidum sub frigoris speci-
excipiatur, Experientia edocemur, qva pannus laneus
holosericum similiave tela sub contrectatione arctiore
lœvia, sub superficiali, & qvæ manu magis suspensa fit
aspera aliquando judicantur; acaer ore expiratur sub di-
versa tantum labiorum plicatura seu oris externi confi-
guratione, hinc diverso efflationis impetu atq; directione
modo calidus modo frigidus exhalatur. Id est, motus hi
tangibilium diversi, si ab instrumento Tactus excipientur
non possunt non in hoc varios motus seu sui impressio-
nem non sine hujus fibrillarum nervearum determinata
agitatione præstare.

§. XXVIII. Ast qvemadmodum Tactum hunc
organicum seu ad mentem *VVillisii l. a. c. ii.* manifestum
forsan vocare licet, ad differentiam privati seu latentis
ac similaris magis, qvorum prior à nobis advertitur, 8
species tangibles ut tales per mechanicam Cutis nerveo-
papilla

pillarem imprimis percipit, alter potentia sensitiva par-
m qvarumcunq; fibrosarum, seu fibrarum, tanquam
rtium omnimode similarium est, qvâ non tam asperum
evi, durum à molli, calidum à frido, qvam congruum
i ab incongruo illæ discernunt, qvalis tamen uterque
rum sensuum ab influxu animali promanat: Sic haud
eo inepte me illaturum confido, omnibus partibus ali-
id Tactus inesse, qvia omnium ac singularum harum
ræ à contactu objectorum commoventur, i. e. contin-
ntium congruitatem atq; incongruitatem percipiunt,
i ab hac irritantur. Proin qvamvis *VVilliso* lubens con-
dam, variare sensoria distincta satis sui conformatio-
ne, r qvam oculus videat, non audiat, nares olfaciant, non
stent &c. hinc forsan reliqvas præter cutem papillosum
rtes nec asperitatem, nec soliditatem à lævitate & flui-
tate seu mollitie discernere: discernunt tamen calorem
frigore, congruum sibi ab incongruo, & ab horum vario
pulsu in motus modo sensibiles modo insensibiles ma-
scentur.

§. XXIX. Nimirum ex *Giffonio l. a.* firmum arbi-
or, motivam fibrarum facultatem, qvia per intervalla-
ntum ac minus perpetuâ tendentiâ se exerit, ab irritabili-
te earum dirigi atq; determinari, qvæ necessario per con-
ceptionem irritantis, aliquid Tactus supponit, qvam
sensitivam & in illam, qvam Appetitus dirigit, distingvo;
aturalem vero, qvalem *Giffonius* addit, omnimode exclu-
, qvod à sensitiva hæc ratione causæ Efficientis non dif-
rat, id est, utraq; ab anima sensitiva seu Spirituum anima-
lum influxu dependeat, licet eam in organicam & simi-
rem dispescere non absurdum foret.

§. XXX. Atq; hanc conceptionem sensitivam in
mnibus partibus harumq; textura fibroſa concipere de-

cet, proin in corde qvoqve, cuius systole & diastole muti
à perceptione & causa irritante magis ordinata seu sta
concitatur, qvemadmodum pariter pulmonum & musc
lorum respiratoriorum tensiones ac relaxations alte
nantes. Par ratio est tunicarum ventriculi, intestinorū
& aliorum viscerum fibrosorum, sive motu naturali
perpetuo agitentur, qve in peristalticum ajunt, sive pra
ternaturali, stimulatæ nimirum seu irritatæ ab assum
plus minus in congruis, humoribus pravis, aut Spir
tuum turgescentia extraordinaria, sive ab interna seu e
terna causa exorta.

§. XXXI. Nimirum ejusmodi perceptiones, hi
Tactus modos fieri, probabile est in ventriculo & intesi
nis, si in spasmos excretorios, vomitum v. g. ac diarrhoe
am &c. à qvocunqve incongruo ; in renibus, ureterib
ac vesica, si à calculo, grumo sanguinis ; &c. in naribus
à lympha acriore aut ptarmico ; in pulmonibus & tr
chæa, si à simili lympha aut fortuito illapsis in motus e
traordinarios v. g. tussim, sternutationem, stranguria
&c. cieantur. Qvo etiam spectat illa ipsa Spirituum anim
lium influxus perceptio, qvæ qvemadmodum reliquæ
Sensus fugit, ita solo Tactu dijudicatur ; ut evidentissime
constat ex constrictione seu compressione membra alic
ius potentiore ac diuturniore, à qva hinc stupor & debil
itas paralytica pro tempore à præpedito Spirituum an
imalium appulsi inducitur, ab ejusdem vero constrictione
relaxatione seu compressionis cessatione per aliquot mo
menta puncturarum, in eadem parte & formicationis qu
dam Sensus molestus satis percipitur, à renovato sc. Sp
irituum influxu : qvæ Sensatio eosq: durat, donec mem
brum animali illo fluido iterum undiq; æqualiter turge
cat, seu æqvabilis magis motu denuo hoc recipiat.

§. XXX.

§. XXXII. Ex quibus cunctis duo præprimis eli-
re datur, quorum primum, Sensum Tactus sive perce-
ptionem tactiferorum plus Universalitatis involvere, ac
autenius quidem creditum fuit: dum non cutis tota solum,
sive per totum corporis ambitum expansa ratione texturæ
iæ nerveo papilloſæ, sed omnes partes fibroſæ seu tensiles
mili percipiendi potentia gaudent. Alterum est, quod ex
riore sequitur, nec organa Sensuum cæterorum hac po-
tentia destitui, per mechanicam illam fibrosam commu-
nem; adeoq; nechæc contactus objectorum propriorum
ve adæquatorum excipere, quin ab his simul atangibili-
us proprieſic dictis afficiantur, i. e. illorum ſensationum
eutram ſine Tactus concurſu celebrari, ſeu ad objecto-
rum horum ſingulorum exceptionem æque ac perceptio-
ne aliquid Tactus exigi. Cujus ratione forſan cum Sy-
ano Phys. ſpecial. Part. poſt. c. 5. §. 122. ſi non unum tantum
ſenſum externum, Tactum nempe concipere liceret, di-
ti tamen quinque ſenſus totidem diversi tangendi modi
um ratione dici poſſent, dum nullum corpus organo-
rum ab alio corpore moveri valet, niſi tangatur; ſeu, hu-
iſi fibræ nerveæ ab objecto ſub ſpeciali cujuſcunque ſenſus
determinatione affici nequeunt, quin ſingula commove-
ntur ſub communi omnibus perceptione, qvam Tactum
dicimus; i. e. motus ſpirituum in ſensorio modifiſatur ab
objecto, quæ modifiſatio nullibi ſine Tactu tanquam Sen-
ſu communi ſive generali præter modificationem ſpecia-
rem v. g. viſus, fit, qvalem ſc. à mechanica illius ſpeciali ſi-
re propria, oculi nempe, habet.

§. XXIII. Alterum, qvod ex VVillijo themati meo
repugnare videtur, eſt, qvam ille ſibi concipit, ſpirituum
animalium ſive ſentientium disparitas & qvafī ſpecificatio:

per quam in respectivos objectorum occursus peculi qvodam apparatu & appropriatis ~~diuina~~^{modis} instrantur, eosque non omnes pariter excipient. Verum h ipsa *VVillisii* dogmata hinc inde reprimunt, dum anim sensitivæ systas in five fluidum animale semper unius ejdemque generis seu homogeneous magis idem pronciat, five hoc *Urinosum* sc. in *Anatomia Cerebri & Nervorum* five *Lucis radiis aëri intertextis simile de anima Brutorum* bi concipiatur. Neq; patet, quia ratione idem *VVillisius* spiritum animalium, quibus succulentiam five liqvoris forma attribuerat, alios nudos Tactui, alios puriores ac crystallinos visui, alios humore delibatos ac suffusos Gustui &c. inservire, afferere queat: ut taceam, hanc differtiam Spirituum Sensoriorum à Viris magnæ perspicacitatis Veteribus æq; ac Modernis esse explosam.

§. XXXIV. *Tertium Auctoris ejusdem eruditissimi dubium quod concernit, objecta evidem Sensuum variare, atq; toto cœlo à se invicem distare, negari neque eo ipso autem, dum diversissima pariter sunt, quæ tangimus, fluidum v.g. & asperum, lave & calidum &c. tandem nihilominus percipiuntur, & dijudicantur cuncta, nec fibile, sonorum &c. sine qualitate seu texturâ tactili est, a concipi potest, prout modo evictum fuit, visibile quidem ut tale, Vifus, audibile ut tale, Auditus objectum adæquatum ac solitarium admitto, Tactibilitatem tamen si compagem ejusdem visibilis ac sonori, quia simul fibritatem Sensoriorum cunctorum movent eadem, & si quarei visibilis, audibilis, odoræ &c. impetus excipi minime valebat, communem gerunt, cuncta adeoq; non videuntur, non audiuntur, nec olficiunt sine & nisi sub quoda tangendi modo.*

§. XXXV. Id est, aliqvid cunctis Sensuum ob-

ris inest, qvod non visibile, non gustabile, non audibile,
eu non Lux aut color, non sapor, non sonorum &c. est,
qvod nihilominus Sensibile, & sine cuius simultaneâ per-
ceptione, nihil videri, nihil degustari valet: compages
c. habitudo, textura, & motus impressibus omnibus Sen-
sibilibus communis, qvalia, qvia non videmus, non degu-
tamus, non audimus, percipimus seu fentimus, tangere
amen ea videmur i.e. per modum Tactus aut certè huic
ffinem valde.

§. XXXVI. Qvæ ut magis perspicua evadant, &
sensum potiorem sibi acqvirant, specialius & per singula
sensuum genera erunt declaranda. Adeoq; primo Sen-
sus *Tactus*, *κατ' ἔχοχλω* sic appellatus, distingvere commu-
niter dicitur solidum à fluido, calidum à frigido, politum
eu læve ab aspero; ast profecto non immediate, sed qt.
manus v.g. tangens in corpore aspero particularum su-
perficialium situm inæqvalem i.e. alias eorum in monti-
ulos elevatas, alias instar vallium depresso percipit, qva-
rum illæ Cuti profundius imprimuntur, hæ laxius & le-
viter tantum; glabrum undiq; molliter eam afficit, flui-
dum contingentí seu immersæ promte, solidum minime,
ut plus minus difficulter molle, illis intermedium cedit;
calidum motu suarum particularum Spiritus magis exা-
ritat, & cutem laxat, frigidum eos densat, ac constringit;
Hinc Tactus Tactum præstat.

§. XXXVII. Qvoad *Gustatum* hunc ipse met Aristoteles locis superius allegatis Tactum qvendam ait; nec gu-
stabilium Sensatio sine Tactus aliquali concursu fit: dum
nimirum Lingvæ fibrillæ nerveæ seu papillares aliquid
constrictionis sustinent ab acerbi admotione, leviter
axantur sub dulcedinis impressione, roduntur ab acribus
& salinis. Etsi, qvia hæc non unius generis, hinc diversæ

sine dubio figuræ sunt, eorum perforandi seu penetrandi ratio qvoq; discrepet, hinc in salibus qvoq; Sapores varii & in aromatis v.g. varia acrimoniae genera degustentur i.e. aliter fibras illas gustatorias subeant cubicæ, alite hexagonæ, & acuminatæ magis figuræ Salia; nimirur juxta *Digæum de Natura corporum* cap. 27. & *Institutiones Peripateticarum* lib. II. lect. 18. alia pungendo, alia secando, alia verrendo, alia lævigando; quas penetrationum diversarum perceptiones diversas totidem tangendi cum gustatu modos appellare fas erit.

§. XXXIX. *Olfactus* par ratio est, sc. Volatilioris leviora odoriferorum ramenta corporea ad nares elata non tunicam tantum harum nerveam contingunt, sed eidem quoque imprimuntur, & ut sui impressionem tactilem percipiathæc, cum Cerebro faciunt, sive hoc molliter titillando sub specie sive olentia fiat, sive impetuoso & cum molestia irruentia graveolentium nimirum concretorum. Proin *olfactus sensus* non tantum annotante Aristotele de *Sensu & Sensili* c.s. medius est inter eos, qui tangente suo munere funguntur, quales sunt *Tactus & Gustus*, & inter eos qui intercedente aliquo, (medio) cuiusmodi sunt *Visus & Auditus*; sed odoris impressio fibras sensorii sui proinde commovet, & immutat ac tangibilis compactioris; i.e. plus minus tendit sive percellit.

§. XXXIX. Quemadmodum nech huic Peripateticorum Antesignano absolute concedere licet, *Visum & Auditum* interveniente demum medio fieri, sive aliquod tertium inter objectum visibile & audibile, & organa horum sensuum postulari, per quod videat oculus, audiat Auri prodeunt quippe dogmata hæc ex falsis maxime hypothesibus, sive si mavis, erroribus. Dum ratione *Visus* precarie satis videntur non minus species visivæ intentionales Aristotele

stotelicorum, ac idola sive imagines Epicuri, quasi hæ, nescio
ua ratione, à lucido, colorato &c. emanantes per Ae-
em aut qvodvis diaphanum ad oculum videntem feran-
ur. Sed qvod ab hoc excipitur, ipsa Lux est, sive à corpo-
re lucido v. g. Sole, candela, radio magis directo feratur,
ve ab opaci superficie reflectatur, & hujus compagem
eferat, sive inter reflectendum simul ad colores forman-
os refringatur.

§. XL. Qvamvis proin illam controversiam inter
hilosophos magnæ sagacitatis ventilatam, neque adhuc
ecisam, decidere mihi vix præsumam, an Lux mera Qva-
tas sive accidens, an Substaniæ æthereæ determinatus mo-
us, an materia qvædam subtilissima sit? Illud nihilominus
aprico positum videtur, Lucem sine motu locali vel
stuali, à conatu saltem ad motum sive impressione ad o-
culos derivari, adeoque his non sine violentia impingi,
ancque impressionem potentiorem per illorum tunicam
orneam & humores diaphanos ad retinæ usque tunicæ
brillas sensiles factam, motus determinatos his impri-
nere, i. e. eas plus minus tendere. Qvarum tensio-
um sive motuum, utpote tangibilem, receptiones at-
que perceptiones Tactus notione vel ideo omnium com-
modissime explicare licet, qvod perinde ac organum Ta-
ctus specialius sic dicti externum à vibrationibus corpo-
rum appellentium varie afficitur, affiantur quoqve villi-
culi à vibratione particularum lucidarum commotarum
impingentium ad Sensationem modo voluptuosam us-
ue, v. g. à colore cæruleo, aut huic maxime cognato viri-
i, pro amœnitate sua oculos quasi blande titillare, vel ut
li loqvuntur confortare dicuntur; modo molestam ac do-
rificam v. g. à Luce potentiore sive impetuosis vibra-
lam i. e. à colore albicante & rubro.

§. XLI.

§. XLI. Qvod vero tandem *Auditum* concerni
sub hoc qvoq; perceptionem tangibilis latitare , probab-
le est, non tantum , qvod prout de oculis modo annot-
vi, aures & has actuans fluidum animale , à sonoris mod-
blanditias, modo molestias patiantur ; illas ab harmon-
seu unisono & octava, utpote in qva proportio soni a-
motum est simplicissima , qvæ simplicitas gratum par-
sonum , it: à sonis lenioribus ; has autem à disharmon-
qvavis, aut a strepitibus vehementioribus bombardarui
majorum,tubarum bellicarum,tympanorum.&c.Sed ide
insuper, qvod sonus ipsemet nihil nisi aëris motus tremi-
lus atq; reciprocus sit , qvi corpora nonnulla ad rupti-
ram usq; moveat, adeo qvidem ut scyphum vitreum pe-
vocem humanam determinata ratione moderatam co-
fringi posse, superiorum annorum experimento conste-
qvod eum ætiologia sua *Morhofius in peculiari Tract.* atq;
Bartholus de Sono & Auditu, Italico idiomate edito traditur
& annotante *Perrault in libello de Sono* Gallice conscripti
Part. I. c. 4. sonos tympani , tubæ bellicæ , aut chordaru-
panduræ majoris, ipsum pectus adstantis ad tumorem si-
tis sensibilem percutere, imo a strepitu majore v.g. bo-
bardarum majorum fenestræ ædium adjacentium fra-
gi, qvid notius? qvemadmodum ab ejusmodi tormento-
rum fragoribus ædificia aliquando enormius concussa
ova Volatilium fracta *Digbeus de Natura corporum c. 28. t*
statur.

§. XLII. Qvo supposito, sponte sua seqvitur, mem-
branulam non tantum meatui auditorio sub nomine ty-
pani protensam , sed reconditas etiam magis in aure pr-
fundiore nervi acustici lacinias a percussionibus his son-
ris tremorificis varie tendi , hasq; tensiones illas diver-
mode irritare, seu ab his percipi. Qvas qvidem impre-
sion

nes atq; perceptiones Auditum dicimus, communes
men habent aures cum cæteris sensoriis cunctis, & ni-
l nisi contingentis ac contacti reciprocationes seu mu-
æ tendentiæ videntur. Qvorum hoc vel inde proba-
tr, qvod, annotante *Morpho de Syph. vitreo per certum huma-*
vocis sonum fracto; *V Villis. Anim. Brutor. l. i. c. 14.* & *Trans-*
7. Philosoph. Angl. n. 35. sint, qvi sonos submissiores & or-
narios non exaudiant, nisi in campanili aut inter tympa-
norum strepiferos pulsus maxime constituti; tales nimi-
am, qvorum auribus membrana tympani justo laxior,
væq; non, nisi sono & voce intensiore debite tendatur,
u ad naturalem tensionem reducatur, officium suum
ræstat.

§. XLIII. Eo ipso enim, dum Sensus omnes sub
percussionum harumq; perceptionum genere stant, seu
mni sensationi in nobis producendæ motus præest, ac
potentia tangendi in reliqvorum Sensuum organa se in-
nuat, dum & Lingva & nares & oculus & Auris qualita-
tum tangibiliū plerasq; non minus ac propria objecta per-
ipiunt, intermediis nempe fibris nerveis, ex qvibus sin-
ula eorū contexta sunt Spirituum Animalium copiis tur-
idis, qvæ tanquam chordæ instrumentorum Musicorum,
poties externorum ictibus feriuntur, commoventur,
per conseqvens 4. reliqui sensus plus cum Tactu, qvam
sic cum illis commune habere videntur, eos aliquid Ta-
ctus sibi commune involvere, seu sine Tactu non fieri pro-
bable redditur.

§. XLIV. Neque enim, qvod conjecturis his op-
poni poterat, vel sensibilia vel sensoriorum disparitas
alis ac tanta est, qvalem quantamq; sibi vulgus concipit,
qvatenus variis iisq; interdum mirandis satis observationi-
bus constat, Sensus unius objecti ab alterius organo non

raro discerni, i.e. aliquid identitatis seu communis & cœda
jecta & Sensoria intercedere. De coloribus cœcum que
dam Ultrajecti ad Mosam certis temporibus contactu
gitorum suorum olim judicasse, ex superficie colorat
rum nempe diverso vel asperitatis vel lævitatis grad
prolixius refert Boyle de Color. Part. I. c. 3 dum asperrima
ajebat superficiem albi ac nigri, nigri tamen albi asperi
rem, glaberrimam rubri, cæteros colores prout ab extr
mis longius recedunt asperitate decrescentes; cuius p
radox rationem forte satis adæqvatam reddit Leubnuz
Hypothesi Physica nova in Theoria Motus concreti §. 31. quasi a
ba Luci convexitatem, nigra concavitatem magis ol
vertant, unde illa reflectant, hæc abdant Lucem, & facie
nigri minus planitiei, plus aculeorum seu eminentiarum
habeat. Ut illius taceam, qui oculis adeo captus, ut n
solis quidem claritate moveri potuerit, quicquid; nihilom
nus perfecte satis ac reliquis sensibus instruebatur in iis
quæ ad oculi officium spectabant, ut sc. chartis & latrun
culis peritè luderet, globos missiles dextre torqueret, si
milesque ludos, in quibus ferienda vel attingenda met
proponitur, & quorum peritia in aliis hominibus vivida
oculorum aciem exactamque manus librationem exigit
perfecte calleret, per cubiculum directe ambularet, ver
tens se subinde, postquam ad extrema hujus pervenisset
mensaque discumbens, ad aliorum morem aptissime se
componeret, de hospitis advenientis statim ac cum eo col
locutus fuerat, statura totiusque corporis habitu absque er
rore judicaret, proinde ac aliis quispam integro oculo
rum sensu fruens, cuius *Dygb. I. a. c. 28.* meminit.

§. XLV. Ubi pariter legitur de Nobili quodam
Hispanico nativitate adeo surdo, ut ne bombardam qui
dem auribus admotam & explosam auditu perciperet, &
per

er consequens muto qvoq; , qvi ab aliis prolata verba
culis percipiebat , adeo ut tandem a Sacerdote qvodam
busq; edoctus fuerit , ut quid alii loqverentur , intellige-
& ita loqveretur , ut ab aliis ipse intelligeretur , obser-
ato sc. Visu exactius in loqventibus motu organorum ,
vibus Vox formatur , & qvidem imprimis oris . Qvare ,
qvit Scriptor ille fide dignus , modo non deesset Lumen , qvan-
loquentes intueretur , absq; difficultate colloquebatur , voces q;
antumlibet submissæ prolatas percipiebat , vidi ego ad ampli cu-
culi spatiū verba repetentem , qvod ipse ne admotis qvidem au-
bus audire poteram ; sin autem in tenebras constitutus esset , vel
eum qvis aversa fronte alloqveretur , nihil penitus eorum , quæ
cebantur , intellexit . Qvemadmodum etiam idem e.7. nar-
t , qvendam Joh. Leodiensem adeo emundatæ naris exti-
se , ut de esculenti cuiuslibet sapore ex odore judicaret ,
ribus procui perciperet , ubinam radices fructusq; salu-
es , quorum esu per totidem annos , qvos in sylvis trans-
erat , vicitabat , crescerent , quale quid de alio sibi
et cognito pariter testatur l. a. p. 317. qvi odoratu pariter
scernebat corporis cuiusvis qualitates , qvæ Gustus ex-
mini alias sisti debebant , ne pane quidem & cerevisia ex-
ptis .

§. XLVI. Denique nec hoc argumentum ab asserto
mprobando adeo alienum erit , qvod notat *VVillis. Anim.*
utor. L. I. c. II. Tactum plerisque reliquis Sensibus circa
jecta sua ambiguis criteria suppeditare certiora : ita ut
uti Visus larvam sive spectrum à corpore vero distin-
ere nequeat , examine per Tactum sive contrectatione
ta , res extra omne dubium ponatur ; qvemadmodum
lem olfactus & Gustatus organa sensibilia sua sæpe re-
dient , & proprius admittere vereantur , nisi palpando
lem priustentata fuerint . Et eo ipso , dum omnes qva-

litates sensibiles nil nisi corporum habitudines sint , quæ ex minimorum , ex quibus illa constant , figurâ , magnitudine , situ aut motu intestino emergunt , paradoxum minus censeri debet , si quas modificationes has Tactus immediate magis explorat sive dijudicat , nec à reliquis sensibus sine Tactu , sed sub quodam potius Tactus modus aut moderamine percipi suspicemur.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

- I. Qvoddam præternaturale est naturale. Imo
- II. Omne præternaturale est naturale.
- III. Sol videtur ante ortum & post occasum.
- IV. Radii solares non rectâ lineâ per aërem ad cœlum nostrum penetrant.
- V. Nunquam magis illustratur Luna, qvam in novilunio, nec unquam minus, qvam in plenilunio ; sicut nec Terra magis, qvam Sol in Capricorno, nec minus, qvam Sole in Cancro constituto, illustratur.
- VI. Major interdum numerus minus, minor maior denotat.

